

DE EXPECTATIONE  
**PARTUS DEIPARAE MARIAE**

AC DE PERPETUA, ET UNQUAM VIOLATA INTEGERRIMA

**EIUS VIRGINITATE**

**LIBER SEPTIMUS**

**HOMILIA I.**

*Festi expectationis partus primordia traduntur, et tria quae complectitur hoc festum, varia eruditione emulceantur, explicatis illis verbis: Venter tuus sicut acervus tritici, vallatus liliis.*

Tria, quae complectitur praesens festivitas, nimirum Deiparae Mariae involatae virginitalis cultum, felicissimi eius partus expectationem, necnon singularem illam nomenclaturam, qua apud Hispanos festum Dominae nostrae de la. O. nuncupatur, mirifico artificio clausit Spiritus sanctus in dulcissimis illis verbis, in quibus non pauca delitescunt sacramenta (Cant. 7): *Venter tuus sicut acervus tritici, vallatus liliis.* Lilia apud antiquos symbolum extiterunt virginitalis propter innatum eorum candorem, ac miram fragrantiam: ecce Mariana virginitalis cultum. Spei etiam lilia argumentum erant, quia a radice praecisa, quando folia inter sese complicata sunt, adhuc expectantur in aqua fore explicanda, et expandenda, ac suavissimum emissura odorem: ecce festum expectationis partus, in quo foetus, instar odoris, qui absque floris violatione proficit, et thalamo Virginis egressurus erat. *Venter autem acervo tritici comparatur, qui figuram habet orbiculari:* ecce delineatam nomenclaturam illam festi Dominae nostrae de la. O. in qua mira laetitia arcana in praesenti homilia a nobis detegenda, quae ad illustrandum propositum Cantionem locum non parum conferent. Imprimis tamen, antequam ad haec elucidanda veniam, oportet festi huius originem recensere. Narrat Hispaniarum rerum historicographi, haeresim illam, integerrimam Deiparae Mariae virginitalitatem, quam d. Hieronymus multis, et effica-

cissimis argumentis expugnaverat, et quasi mortuam sepelierat, eandem iam sepultam Pelagium et Elladium haereticos, ex Gallia Gotica in Hispaniam venientes tempore d. Idelfonsi, ab inferis revocasse, et illam evocasse coepisse: tunc autem circa annum Domini circiter sexagesimum supra sexcentum sub Martino I. convenerunt in concilium Toletanum decimum, Eugenius III. archiepiscopus Toletanus, et decem, et septem alii Episcopi, regnante catholico rege Recensintho, qui unanimi consensu nunquam violatam Deiparae virginitalitatem acclamant. In quo sane videtur mihi illis contigisse, quod olim Ephesii, qui Dianam, hoc est, lunam, tamquam deam venerabantur, cui dicarunt celebre illud templum, quod Dianae ephesinae vocabatur, et quod plebeius quidam, et infimi nominis homo, ut aeternum sibi compararet nomen, tentavit, igne supposito, penitus demoliri; hanc etiam falsam deam cum sagittarum manipulo depingebant, varios influxus significantes, quibus terram foecundabat, et locupletabat; his acutis sagittis Ephesiorum corda adeo vulneravit, ut cum Ephesus, praedicante Paulo, mira divini Verbi virtute inciperet Dianae veneratio corruiere, Demetrius quidam argentinus convocatis opificibus suae artis, proposita illis sui lucri magna iactura, praecipue tamen collapsae antiquae venerationis magnae Dianae, quam non solum Asia, sed universus orbis colebat, ita Ephesiorum animos in defensionem Dianae inflammavit, ut omnes pariter in illa verba prorumperent: *Magna Diana Ephesiorum:* non secus Engenio archiepiscopo Toletano varios episcopos ad concilium convocante, ut de instaurando, et resarciendo Mariana virginitalis honore ab haereticis impudenter laeso, omnes una voce acclamarunt, non quidem falso, et impie, ut illi: *magna Diana Ephesiorum:* sed pie et vere: *Magna integerrima Vir-*

go Maria: cuius virginiae integritatis veritas, ut fidelium mentibus firmiter inhaeresceret, publico edicto hi Patres praecerperunt, ut octavo die ante nativitatem Domini praesens festum celebraretur; id quod anno proximo S. Idelfonsus, qui eo anno ob Eugenii mortem in archiepiscopum Toletanum electus fuit, executioni diligenter mandavit; erat enim virginiae integritatis Mariae acerrimus defensor: unde sicut olim cherubim cum gladio versatili paradisi voluptatis custodiebat, ne a quopiam conculari posset; et ut quondam propheta Daniel Susannae castitatem ab impudicis illis seibus cum commaculare conantibus defendit, ita S. Idelfonsus, ut nomen ipsum praesefert, quod a multis interpretatur ille defensor, quasi per antonomasiam Mariani paradisi vigilantissimus custos, ac virginiae eius castitatis indefessus, et invictissimus propugnator extitit. In cuius singularis obsequii, et protectionis praemium, cum ipse accederet ad officium maturum illius festivitatis, coeleste indumentum de manu Reginae angelorum suscepit, quod modo magna veneratione asservatur in Hispania in civitate Ovetensi; et ut perpetua tanti beneficii memoria nunquam aboleretur, singulari cultu custoditus perseverat hucusque lapis, in quo, ex vetustissima, et indubitata maiorum traditione, sacra Virgo plantas posuit, et ingitler Hispani adorant locum, ubi steterunt pedes eius, ecclesiarque Toletana in insignibus et stemmatibus suis id ubique repraesentat.

Ceterum ad tria illa, quae praesens festum complectitur, et prosequi polliciti sumus, sermonem convertentes, certe Spiritus sanctus, ut virginie uteri miram puritatem declararet, candidis liliis illum circumdedit: ut autem significaret, Mariam undequaque virginem esse mente et corpore, consulto dixit, ventrem eius vallatum esse liliis, quod enim vallatur, undique cingitur. Alque hinc ortum habuisse existimo laudabilem Ecclesiae catholicae consuetudinem constituentem ante imaginem Virginis, tamquam insignia, et stemmata propria, vas mundissimum candidissimis liliis plenum. Ad manifestandum certe eius virginitalitatem non esse commune, et vulgare instar aliarum virginum, quae eo ipso quod illam servant, foecunditate carent, mirum in modum lilia prodesse agnovi, quippe cum miro eorum candore tam eximiam foecunditatem habent coniunctam, ut ex uno dumtaxat illorum semine in terram sato tota area liliis impleatur. Quemadmodum etiam candidum lilium sex habet folia candida, in tot similiter dividitur castitas, ad expugnanda sex libidinis vitia, quae illam demoliri satagunt, fornicatio, incestus, adulterium, stuprum, venerem sacrilegium, et peccatum contra naturam. Ac tandem quemadmodum flos lili in tus continet semen aureum, septem habens grana; sic Maria, virtute Spiritus sancti gravida, semen illud aureum, et divinum, aeterni Patris Filium, in medio sui uteri continet, qui septem donis Spiritus sancti erat exornata, quia septiformis Spiritus super illum requievit, ut praedixit Isaias: ecce lilia virginitalitatem Deiparae cum mira eius foecunditate coniunctam egregie adumbrantia. Cum autem obi-

ciunt haeretici, quod si Deipara fuisset perfecte foecunda, oportuisset non unum, sed plures filios edidisse, quia quanto foemina saepius concipit, tanto foecundior esse perhibetur; nullius prorius momenti est versuta haec, et haeretica calunnia, quam proinde non aliter infringam, quam ex fabula illa vulpis, cuius nonnulli meminere poetae: illa enim ad leonem contendente, minus ea foecundam esse, cum nonnisi unum ederet foetum, ipsa vero perplures, certe leona respondit, unicum tantum partum eius pluris aestimandum, maiorisque valoris esse, quam omnes simul foetus generis vulpini; sequae foecundiorum esse iudicandam unum solum foetum producentem, quam vulpem multos parturientem: sic sane nihil diminuit excellentiam foecunditatis Deiparae Mariae, quod unicum tantum, et non plures filios peperit, cum ille solus omnium aliarum matrum natos infinito perfectionis intervallo superet: aliae enim matres fallaces vulpes, quae demoliuntur vineas, pariunt, Davide dicente (Psal. 61): *Mendaces filii hominum;* beata autem Virgo peperit leonem de tribu Iuda, Christum scilicet Dominum, qui de seipso dixit (Ioan. 16): *Ego sum via, veritas, et vita.* Alque hoc est primum, quod praesenti festo celebrat Hispania, virginitalitatem scilicet Deiparae pro foecunditatem eius minime labefactam, sed potius auctam et illustriorem factam, de qua longum nobis restat in sequentibus habendus sermo. Nunc sufficit explicare vim illius verbi *vallatus:* ecce *vallus* significat locum munditissimum exercitus, ubi milites resident, cum civitatem aliquam obsident, vel e regione inimicorum se constituunt; unde *vallare* idem est ac fossa circumdata lignis fortissimis et terreo muro loco militum struere, ad quod aludens diabolus Deo dixit de Iob (c. 1): *Nonne tu vallasti eum?* immo et Christus Dominus in evangelio (Luc. 19) ait: *Circumdabant te inimici tui vallo:* liliis ergo vallatur frumentum, quia foecunditatis Mariae a virginitalitate fuit custodienda, velut ab exercitu militum armoratum, nec passa est illam quidquam laedi, sicut aliae foeminae laeduntur, quibus virginitas obest foecunditati, et virginitali foecunditas.

Secundum, quod complectitur hoc festum, est expectatio virginis partus, praesertim cum b. Virgo propterea erat ei, quod etiam eleganter significavit Spiritus sanctus per lilia, quia flos illorum hieroglyphicum erat olim *spei*, et ut refert Pierius Valerianus (lib. 35 c. de lili.), in multis antiquorum imperatorum nummis, ex altera facie deae quadam sculpta erat, lilium dextera protendens, cum hac inscriptione: *Spes publica:* quod praesenti argumento mirifice convenit, cum in b. Virgine partum Redemptoris expectante, tamquam in communi omnium matre, omnes fideles eundem expectant: unde merito illi hodie quadam inscriptio illa: *spes publica:* ratio autem propter quam lilium in spei symbolum accipiebatur, iam supra tacta est, quia hasta illius a radice praecisa, quando nullius floritibus videtur spe habenda, adhuc efflorescit, postea folia sua expandens, ac suavem odorem emittens, cui consonant illud (Iob. 14): *Lignum habet spem, si praec-*







tae spei; contra triplicem vero illam concupiscentiam, quam praecitato loco Ioannes commemorat, triplex illud antidotum exhibet, *sobrie, iuste, et pie vivamus: sobrie*, contra desideria carnis; *iuste*, contra effroentat occulorum licentiam; *pie*, contra impiam superbiam. Vel aliter, *sobrie*, in ordine ad nos; *iuste*, in ordine ad proximum; *pie*, in ordine ad Deum, cui sit honor et gloria in saecula saeculorum. Amen.

## HOMILIA II.

*Catholica nostra Hispania diem festum agit ardentibus desideris, quibus b. Virgo videndi Christum natum flagrat: ubi etiam de fervore horum desideriorum pertractamus, et in effroentata perditorum hominum desideria invehimur, et ad bona promovenda exhortamur.*

Serenissimus rex David Verbi divini in carne humana felicissimum adventum in hunc modum enixe postulans, dicebat (Psal. 79): *Qui regis Israel, intende, qui deducis velut oem Ioseph: qui sedes super cherubim, manifestare coram Ephraim, Benjamin, et Manasse. Psalmus, in quo haec verba habentur, iuxta locum expositionem (super Psal. 79), hunc habet titulum: Pro his qui commutabantur testimonium Asaph: id est, ut ille exponit, isle Psalmus, quem fecit Asaph, dirigit nos in finem, qui est Christus Dominus, simulque est testimonium pro commutandis, seu convertendis Gentilibus contra Assyrios adversum Christum se erigentes: Assyrius enim dirigitur, seu erigitur interpretatur. Episcopus vero Cristopolitanus hunc titulum hinc Psalmo apponit: Ad victoriam, sive in finem super rosas, testimonium Asaph: hoc est, in hoc psalmo agitur de Christo, qui de morte, et diabolo victoriam tulit in bonum Ecclesiae significatae per Asaph, quod interpretatur congregatio: quam etiam vocat rosam, quia inter omnes orbis nationes habet se velut rosa inter spinas. Vulgatus autem interpres hoc titulo notavit hunc psalmum: In finem pro his, qui commutabuntur; vel, ut legit originale hebraicum, Psalmus Asaph praefecto cantorum super liliis, quae duo reddunt hunc, quem puto veriorum sensum: Psalmus hic dirigit nos in Christum ultimum finem nostrum, fuitque consignatus Asaph cantorum praefecto, ut iuberet cantari in eorum solatium, qui spretis mundi voluptatibus ex nigredine peccati transferendi erant ad candorem gratiae, et velut in candida lilia commutandi. Hoc supposito, ut exponamus priora illa verba: *Qui regis Israel, intende: observandum est, quod cum Israel vocatus fuerit Iacob, a quo per duodecim patriarchas eius filios descendebat populus Dei, ideo per Israel intelligitur Dei populus, quem specialiter regimine Deus gubernabat tam in spiritualibus, quam in temporalibus: quod singulare beneficium recolens David dixit: Qui regis Israel, intende nobis, dirige nos, exaudi preces nostras; subiungit deinde: Qui deducis**

*velut oem Ioseph, quae verba quidam, ut auctor est Incongnitus, in hunc modum interpretantur, quod Ioseph, ut sacra Genesis historia commemorat, in morte adiuravit fratres suos dicens: scio, quod Deus visitabit populum suum, et vos hinc educet ad terram vestram; ideo tunc asportabit ossa mea vobiscum, ut non hic, sed cum patribus meis sim sepultus in terra promissionis: filii autem Israel praecipuum hoc complere volentes, cum in exitu de Aegypto propter inundationem Nili Iosephi sepulchrum invenire non possent, tunc apparuit eis quaedam ovis, quae ductu angelico natavit usque ad locum sepulchri, in quo Iosephi ossa iacebant, quae accipiens Moyses secum asportavit, ut legitur (c. 1. 3. Exod.). propter quod vocata est ovis illa Ioseph: iuxta quod historia, si vera esset, sensus est: Qui deducis populum Israel, ut habetur (Exod. 14), velut oem Ioseph: quae similiter ductu angelico veniat ad sepulchrum Iosephi. Quia tamen huius historiae nullum probatum invenitur monumentum, germanam b. Theodoret (in Psal.) expositionem suscipio asserenti, sensum esse: qui pascis, et regis pastorali cura populum tuum, velut Ioseph, qui tamquam ovis in fratres velati in quosdam lupos occidit; sicut ergo ab illorum manibus illum liberasti, in Aegypto deduxisti, insidiantibusque superiori fecisti, sic curam nostri habeto. Quia tamen novam David Deum non aliter id praestitum fuerat manifestando se hominibus in carne humana, continuo subdidit: *Qui sedes super cherubim, manifestare coram Ephraim, Benjamin, et Manasse.* Dicebatur quidem Deus sedere super cherubim, quia arca testamenti duobus cherubim sustentabatur, ut habetur (lib. 3. Regum 8); et ad hoc alludens propheta ait (Abd.): *Qui sedes super cherubim.* Mihi tamen verus videtur, allusionem fecisse ad veros cherubinos plenitudine scientiae conspicuos, in quibus Deus sedere dicitur (1. Reg. 2): *Quia Deus scientiarum Dominus est, cui omnium clara ac limpida cognitio subest.* Ab illo igitur, qui latibulum suum habet super absconditis nobis cherubim, instanter postulat David, ut dignetur se manifestare humana carne indutum. Notandum autem petit, ut manifestetur coram Ephraim, Benjamin, et Manasse, quoniam per hos tres populum christianum intelligebat: Ephraim enim interpretatur augmentum, ad donandum, quod Ecclesia Christi agenda et propaganda erat per universum orbem: per Benjamin, qui dicitur *filius dexterarum*, significatur eadem Ecclesia, dextera Dei Patris regenerata: per *Manasse* autem, qui idem pollet, quod *oblitio*, et populus gentilius, ex quo facta Ecclesia, et qui quondam oblitus videbatur a Deo. Unde Episcopus Cristopolitanus ex praedictis omnibus hunc sensum eruit: *O Christe, qui sedes super duo cherubim in caelo, et etiam in arca, quae significabat mysterium incarnationis, ita veni in carne, ut sedes super duo cherubim, scilicet animae, et corporis in eadem humanitate, aut super duo testamenta, novum scilicet, et vetus, ut sedes etiam super duos populos ad fidem conversos, scilicet ex Iudaeis, et Gentilibus: veni**

*ergo, et manifesta te coram Ephraim, Benjamin et Manasse, id est, veni ad populum christianum per totum orbem augmentatum. Tandem addit David (Psal. 79): Excita potentiam tuam, et veni, ut salvos facias nos: videbatur potentia quae dormiens, et ideo excitat illum, ut manifestet se in Verbi divini incarnatione, ita explicat s. Theodoretus (in comment. huius loci) dicens: *Tantum otio utentem Deum excitat, omnem tuam, inquit, potentiam move, nostram salutem tractans: non solum autem David, sed et Patres multo illo antiquiores, ita ardentem adventum Christi Domini desiderarunt, ut facilius assererent se velle sustinuisse mortem, quam adventus Christi dilationem: in hoc enim sensu d. Gregor. Papa (lib. 9. Moral. 9. 15) exponit verba Iob: Si flagellat, occidat semel, et non de poenis innocentium rideat, super quae verba ait magis hic Pater, sanctum Iobum vocasse innocentium poenas ardentissima desideria Christum videndi, quorum complementi dilatio sanctorum Patrum animos vehementer exercebat: verba illius sunt haec: Ante Redemptoris adventum poenam suam electi omnes habuerunt, quia aestuante desiderio incarnationis eius mysterium videre cupierunt. Ridere autem Deum dicebat de huiusmodi poenis innocentium, quatenus eorum precibus non annuens; magis ac magis adventum Christi differrebat, quod adeo moleste ferebant, ut dicerent: Si flagellat, occidat semel, et non de poenis innocentium rideat: quod perinde erat, ac si dicerent, iuxta s. Gregorii intelligentiam: *Quia vita nostra quotidie flagello vindictae pro culpa alteritur, ille iam veniat, qui pro nobis semel sine culpa moriatur, ut de innocentium poenis Deus ultra non rideat, si ipse carne passibilis appareret, in cuius se desideris mens nostra castigat.***

Verum licet illi patres avidissime cuperent Verbi divini temporalem conceptum et ortum, desideria tamen beatissimae Virginis exarserant adeo, ut in comparatione eorum illorum fervor tepor censi debeat. Unde merito catholica Expectatio partus solemniter et speciali festo colitur, haec ferventissima Mariae desideria celebrat: in quo id sane singulare ac mirabile est, excellentiam Virginis valde commendans, quod specialis festivitas ad celebrandas, et colendas Marianae cordis cogitationes, et desideria instituta sit, Davidem audio dicentem Deo (Psal. 75): *Reliquiae cogitationis meae diem festum agent tibi; tamen, quod desideris, et cogitationibus dies festus agatur, inauditum sane est. Sed debitum tantae Virgini, cuius cogitationes, et desideria videndi Christum iam natum, tanta aede erant, tantoque divini amoris ardore exaestuanti, ut specialis Festi religione coli mereantur. Quamvis autem semper Marianum cor sanctis desideris esset ignitum, proxima tamen partu ardentius inflammabatur: quemadmodum enim lapidus motus naturalis, ut philosophi docent, velocius est in fine, quam in principio, quia proximior est suo centro, ita cum sacrosanctum Mariae cor vehementi desiderio videndi Christum natum iam natum, multis retro die-*

CARTHAGENA DE B. M. V.—Vol. I.

bus non violenter, sed spontanea moveretur, proximior tamen facta partu, velocius erat ille motus, frequentiores de Christo erant eius cogitationes, ardentiora illum intuenti desideria. Et quidem si Isaias (c. 64) dicebat: *Ultimam dirumpere coelos, et descenderes: a facie tua montes defluerent, sicut exustio ignis labescerent, aquae arderent igni: a facie Christi, qui ardentissimus amoris ignis est, non poterant non ex Mariae praecordis ardentissima illum videndi desideria effluere. Quod si omnibus matribus praegnantibus nescio quis inusitatus videndae prolis affectus inest, quamvis aliquo certo sciant variis doloribus in partu esse cruciandas; quanto maiori, et ardentiori desiderio prolem suam videndi teneretur Virgo, quam ex Spiritu sancto cooperante conceperat, et quam tot tantisque votis reges et prophetae videre concupierant, et non obtinuerant? ideo doctissimus Boxamius (in sua harm. ec.) considerans Mariam variis desideris cruciari videndi filium suum, ingeniose eam comparat foeminae illi (Apocal. 12): *Quae eruebat, ut pareret: non quod dolorem aliquem in partu Virgo senserit, sed quod cruciari diceatur summo illo desiderio, quo tenebatur ut pareret filium suum. Alque hinc est, quam apte praesens solemnitas Expectatio partus nuncupetur: aliae quidem matrem non sperant partum, sed timent illum: tamen enim est de malo, spes de bono; cum ergo illas comprehendat maledictio ore Dei prolata (Gen. 3): *In dolore paries filios tuos, malum hoc doloris timent; Virgo autem, quia laetabunda summa animi exultatione, omnique doloris expers Christum Dominum paritura erat: ut enim dixit d. Fulgentius (serm. de laud. Mariae): Nulla fieri graveo potuit concipiens, nulla tristitia parturienti: qui enim venerat triste lactificare seculum, ventris non contristabat hospitium: non timebat partum, sed sperabat illum, ut ait b. Petrus Damianus (serm. 3. de nativ. Mariae): *Erat spes in partu, cum non fuerat voluptas in coitu: id quod et in Maria magis augebat infantem Christum videndi desiderium; illud tamen super omnia ardentius illud inflammabat, quod illum ob infinitam suam bonitatem summe desiderabilem contemplabatur Virgo, sic enim cum vocat sponsa: nam postquam a vertice capitis usque ad plantam pedis sponsi elegantiam et pulchritudinem laudasset, volens ea quae dixerat in compendium, et epilogum redigere, inquit (Cant. 5): *Totus desiderabilis, vel, ut originale hebraicum habet, totus desideria, hoc est, totus est scopus nostrorum desideriorum in amorem suum rapiens. In casibus figuram (Exodi cap. 12) lego, totum agnum paschalem edendum esse, ita ut nihil eius abiceretur: Christum sane, qui Agnus Dei a Ioanne compellatus est (cap. 1): *Ece Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi, agnus ille adumbrabat, quia Christum totus aptus est ad manducandum (1. Cor. 11): *Accipite, et manducate: hoc est corpus meum: nihil eius est, quod abiciatur, caro eius nos nutrit, sanguis fovet, ossa confirmant, et roborant. Ad id etiam significandum arbitror Christum Dominum consulto balsamo se comparasse (Ecl. 24): *Quasi balsamum aromatizans odorem dedi-********



Inter plantas quaedam habent proficuas radices, aliae ramos, aliae frondes, aliae flores, aliae tandem fructus; arbor tamen balsami undequaque utilis, et medicinalis est: radices, rami, frondes, flores, et fructus adeo, ut nihil illius tamquam inutile opus sit abicere. Talis sane est Christus hominus, omni ex parte proficuus: manus eius sanitate conferebant (*Luc. 14*): *Imponens manum super eam, sanavit illam*: vox eius mortuos suscitabat (*Joann. 11*): *Lazare, veni foras*: intuitus illius contritionem infundebat, poenitentiam, et lacrymas dabat (*Mat. 26*): *Respexit Dominus Petrum, et egressus foras fecit amare*: respiratio eius Spiritum sanctum conferebat (*Joann. 20*): *Insufflavit, et dixit eis: Accipite Spiritum sanctum*: quid plura? fimbria vestimenti sui semel tacla sanguinis fluxum cuiusdam foeminae repressit, ut narret d. Maillaheus; immo ex saliva, quae excrementum est capitis ad os descendens, coeum illum illuminavit, ut refert d. Ioannes. Unde quemadmodum aurifices magna cura servant minutissimos auri pulveres, qui decidunt, quia nihil illius est, quod aurum non sit; non secus in Christo Domino nihil invenies, quod aurum non sit, quod pretiosum non sit, quod aestimabile non sit, quod infimili valoris non sit, ac tandem quod summe desiderabile non sit; recte ergo a sponsa *tetus desiderabilis* nuncupatur, inireque optimo in illum tamquam in scopum omnia Deiparae Mariae desideria tendebant. Illud tamen merito quispian interrogare possent, quomodo si b. Virgo tanto amore Christum prosequeretur, illudque sit amantissimum ingenium, ut velit nunquam a se dimoveri dilectum; unde David (*Psal. 72*): *Mihi autem adhaerere Deo bonum est*; et alibi (*Psal. 61*): *Adhaesit anima mea post te*; nihilominus tamen Deipara ardentem desiderabat Christum Dominum a visceribus suis separari, quibus coniunctissimus erat, et foras extra se illum mittere? Sane Obeyedom diligenter curavit arcam Domini domi suae delinere, et David videns, quod benedixerat Deus Obeyedom, et domi eius propter arcam, voluit eandem in domum suam reducere; ac tandem nunc devote communicans nihil charius habent, quam per Eucharistiae sacramentum intra pectoris sui claustra corpus Christi continere. In hoc sane mirifice effulget ardentissima Mariae charitas erga genus humanum, quod cum aliquin valde utile sibi esset Christum Dominum in uteri sui tabernaculo requiescere, illumque sibi non solum mente, sed et corpore quasi conglutinatam habere, instar animae Ionathae, de qua dicitur (*1. Reg. 18*): *Anima Ionathae conglutinata est animae David*; ipsa tamen communem utilitatem propriae anteponebat, quia, ut inquit Apostolus (*1. Cor. 13*): *Charitas non quaerit, quae sua sunt, ardentem cupitibat egressum Christi Domini ex thalamo eius virginis, ut sic Ecclesiae catholicae dilectissima eius sponsae desideria completeretur in illa verba prorumpentis (*Cont. 1*): *Quis mihi det te fratrem meum sugentem sibera maris meae, ut inveniam te foris, et desceat, et iam me nemo despiciat?**

Ex his tam Virginis, quam Ecclesiae catholicae ardentissimis desideriis illud magnum momen-

ti emolumentum vellem vos perciperetis, ut sancta concepiatis desideria, prava longe abiciatis. Isaias quidem tamquam vir desideriorum dicebat (*c. 26*): *Anima mea desiderabit te in nocte, mane vigilabo ad te*: ubi observandum est, quod verbum hoc desideratur geminam habet significationem, nam latina phrasi ad significandam aliquid desistere, dici solet desideratur: quando etiam voluntas aliquid cupit, dicitur id ab ea desiderari: quo non obscure docemur, quoties aliquid boni ad integritatem vitae nobis deficit, illud ardentem desiderandum esse: sic enim fiet, ut quod desideratur, desideretur, et defectum boni semper desiderium illud habendi concomitetur, imo et cura idipsum quaerendi, et adipiscendi, ut praestabat Isaias, qui postquam dixerat (*c. 26*): *Anima mea desiderabit te in nocte*, continuo subiunxit, *mane vigilabo ad te*. Verum ut sanctis desideria animus vester vacare assuescat, illud scilicet, quod sicut prava desideria eadem essentiali poena puniuntur a Deo, quasi opere ipso fuisse consummata, ut non obscure colligitur ex verbis Christi Domini (*Matth. 3*): *Omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam moechatus est in corde suo*, ita etiam sancta desideria perinde remunerantur a Deo, ac si opere illa quis complexisset, ut configit Abrahamo, cui, quia efficaciter desideravit iuxta divinum praeceptum filium suum Isaac Deo immolare, licet aliquin reipsa filium non immolavit, quia divinitus impeditus fuit per angelum, Dominus tamen dixit (*Genes. 22*): *Quia fecisti rem hanc, et non pepercisti filio tuo unigenito propter me, benedicam tibi, et multiplicabo semen tuum sicut stellas caeli*: ecce tam acceptum fuit Deo desiderium, et voluntas filium suum immolandi, quam si opere ipso illum occidisset, et propterea ei dixit: *Quia fecisti rem hanc*. Huc etiam facit, quod ubi nostra vulgata legit: *Si voluisses sacrificium, dedissem*: alii vertunt: *nulle sacrificium, dedissem*: alii vertunt: *nulle sacrificium, dedissem*: alii vertunt: *nulle sacrificium, dedissem*: quae translatio fundamentum habet in literis hebraeis, quae instar notarum communis abachi milliarium numerum conficiunt; ecce ardentem Davidis devotionem, qui cum non posset millia sacrificia simul Deo offerre, desiderio tamen illa offerebat, nec minus Deo illa accepta erant, quam si reipsa illa obtulisset. Ex quo aperte constat, quam uberes fructus pariunt bona desideriorum semina in corde puro sata; et contra vero quanta ex pravis desideriis nocumenta oriantur, pluribus in locis nos monuit Paulus, ut proinde ab illis nos absteinamus, praesertim tamen cum dixit (*1. Tim. 6*): *Qui volunt divites fieri, incidunt in laqueum diaboli*: quem locum versans d. Augustinus (*1.50. hom. 13*) in hunc modum illum ponderat: *Non dixit, qui divites sunt, sed qui volunt divites fieri, incidunt in laqueum diaboli*: cupiditates accensit, non facultates. Sed et hoc ipsum verba illa eiusdem d. Pauli (*ad Galatas 5*) scribentis mirifice illustrant, dum ait: *Caro concupiscit adversus carnem*. Mirabile quidem bellum, in quo non aliis armis, quam desideriis pugnetur. Quis quae ridiculam pugnam non iudicaret, si Turca non aliter in regem catholicum desecivret, quam

desiderans lotius regni sui iacturam; et similiter si rex catholicus non aliter Turcam expugnare tentaret, quam regni illius omnimodam ruinam ei concupiscens, quis quaeo genus hoc pugnae futile esse non diceret? ita plane est; verum in hoc clarius detegitur mirabilia vis, singularique carnis robur adversus spiritum, seu partis inferioris adversus superiorum, cum solis desideris, et concupiscentiis, absque alio armorum strepitu, aliisque tormentis bellicis illum oppugnet, et expugnet. Ut tamen adhuc vis, et potestas huius infestissimi hostis amplius innotescat, in memoriam quaeo revocata, quod, ut regius vates miram Dei potentiam ostendat, dixit (*Ps. 114*): *Omnia quaecumque voluit, fecit*: unde in Genesis legitur, quod dixit Deus: *Fiat lux, et facta est lux*: *fiat firmamentum, et factum est firmamentum*. Igitur vis haec Deo innata in construendis bonis suo modo competi pravae voluntati in bonis spiritualibus demolienti, siquidem unico dumtaxat suo velle, seu mortifero desiderio omnia bona opera facta, etiam si plura fuissent, quam sint stellae caeli, et guttae aquae maris, penitus absumit, ac demolitur. Igitur ut hanc tam lacrymandam iacturam vitemus, nostra coercemus prava desideria, quae emergunt in interitum, et facili Deiparae aemulatores, nihil aliud quam Christum desideremus. Si enim omnia naturali impulsu attingere desiderant suum terminum, quiescere in suo loco, coniungi cum suo principio, et pervenire ad suum centrum; merito nos, nisi rebus insensibilibus deteriores efficiamur, Christum ardentem cupere debemus, cum ipse sit terminus, ipse principium, ipse requies locus, ipse tandem centrum cordis nostris, extra quod proinde necesse est violentiam pati, et male se habere, ut dixit Augustinus (*in lib. conf.*): *Traxisti nos Domine ad te, et inquietum est cor nostrum, donec veniamus ad te*: quod idem cervi metaphora expressit David dicens (*Psal. 41*): *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus*: sicut anima mea ad Deum fontem vivum: cum enim cervus calore aestuat, et a venatorum canibus insequutus cupit refrigerari, non sistit in rivulis, nec ab eis haurit aquam, sed pergit ad fontem, unde illi effluunt, ut plenius sitim suam extinguat; sic animus noster sitiens non debet se demittere ad rivulos creaturarum, ut inde voluptatem hauriat, sed ultra pergere ad inexhaustum, et perennem omnium bonorum fontem, Christum Dominum, qui omnem pravum sitim extinguere, et bonam facile, et perfecte explere potest.

Omnia certe, quae in hac vita desiderari possunt ab humano corde, ad tres classes referri possunt, vel ad bona temporalia, vel ad spiritualia in via possidenda, vel ad caelestia, et aeterna in patria fruenda. Cor quidem peccatoris bona temporalia semper concupiscit (*Michae. 7*): *Immaturus fucus desideravit anima mea*: apte vocat illa immaturus fucus, quia instar fructus immaturi valde nocent; isti quidem corpora, illa vero animam laedunt. Dixi autem consulto cor peccatoris semper concu-

piscere bona haec caduca, quia instar maris semper est in fluxu, et motu, nisi forte quando avo cognomento haleyon circa undas eius nidificat. Tunc enim per quatuordecim dies, ut docet Plinius (*in lib. de nat. hist.*), mare cessat a fluctibus, et ut avi illi sufficientes tempus pullos fovendi praebet, serenum et quietum redditur; non secus certe cor peccatoris variis desideriorum fluctibus iustar spumosi, et furentis maris continuo agitur, Salomone dicente (*Prov. 21*): *Desideria occidunt pigram, voluerunt enim quidquam manus eius operari, tota die concupiscit, et desiderat*: nisi aliquin caelestis haleyon Christus Dominus in corde eius nidificet, et pullos bonorum desideriorum in illo foveat: tunc enim mirabilis eius praesentia quietum, et placatum reddit, sicut eisdem absentia inquietum, et turbulentum reddiderat. Rursus iustus, et sancti viri silium iustitiam, omnium eorum sitis, et desiderium circa divina chrismae Deo sibi promissa versatur per Isaiam prophetam (*c. 54*): *Sternam per ordinem lapides tuos, fundabo te in saphiris, et ponam tuispidem propugnacula tua, et omnes portas tuas in lapides sculptos, et omnes terminos tuos in lapides descriptos*: hoc est, replebo te divinis numeribus, per hos lapides designatos. His sancti et iusti loquuntur ad caelestem patriam anhelant, et aeterna, quae in illa latent bona, sibi patetifer ardentem desiderant, et cum Paulo frequenter clamant (*Phil. 1*): *Cupio dissolvi, et esse cum Christo*. Ille vero pro sua solita magnificentia clamorem eorum exauditi, et desiderium eorum explere, iuxta illud Davidis (*Ps. 9*): *Desiderium pauperum exaudiet Dominus*; cui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

### HOMILIA III.

Partim adversus Gentiles, partim adversus Iudaeos, et haereticos variis naturae exemplis ad concionandum aptissimis, multisque testimoniis tam ex ipsorum Gentilium doctrina, quam ex Scribularum vaticinibus, necnon ex miraculosis rerum eventibus depromptis, integerrima Deiparae Mariae virginitas constabitur.

Cum infestissimi Mariana virginifatis hostes ad tres classes reducantur, nimirum ad Gentiles, ad Iudaeos, et ad haereticos, adversus omnes illos oportet me persequi, ac nunquam violatam Deiparae Dominae meae virginem integritatem multifariam multisque modis comprobare, adversariorumque tela in ipsos retorquere, ut si impleatur, quod David cecinit (*Ps. 63*): *Sagittae parvulorum factae sunt plagae eorum*. Primo tamen adversus Gentiles, deinde contra Iudaeos, et haereticos stylen acumen. Equidem cum idem sit sapientissimus, tam naturae, quam gratiae conditor, voluit in natura ipsa nonnulla relinquere vestigia, quibus et catholicorum pietas erga virginitatem Mariae magis iuvaretur, et Pa-



ganorum incredulitas, duraque eorum cervix infringenter. Tot enim animalium, avium, et piscium exempla suppedit ad confirmationem virginittatis Mariae, ut si Ethnicus eam neget, merito ei dicam illud (Job 12): *Interrogaumenta, et doceant te: volatilia coeli, et incubant tibi. Loquere terrae, et respondebit tibi, et narraunt tibi pisces maris.* Et ut ab his exordiar, Arist. (in lib. Probl.) docet plura piscium genera, inter quae alexem et anguillas enumerat, quae sine commixtione maris, et foeminae generantur, et s. Augustinus (lib. 21. de Civit. Dei cap. 5) equas in Cappadocia ex vento concipere affirmat; ut quid ergo dicemus, Virginem non potuisse concipere ex vivifico vento Spiritus sancti? simile autem de aliis animalibus Lactantius (lib. 4. cap. 14), et Albertus (3. Meteor. tit. 31) refert in nube virtute coeli generatum fuisse vitulum; et quotidie etiam ex guttibus pluviae de coelo in pulverem decidentibus animalia quaedam repente prodire conspiciunt; et Evodius (epist. 3. ad August.) meminit vermiculi, qui in ligno absque patre nascitur, et ibi adducit exempla aliorum animalium, quorum conceptionem compertum est sine libidine esse, quia quaedam ex terra, et in terra, quaedam in aqua, et ex aqua, immo et in igne, et salamandra, sine masculi sexu gignuntur; et quorundam etiam seminum, quae ultra e terra proveniunt, et sine humana cultura, sola virtute coelestis constellationis fructificant. Apes etiam absque concubitu generant, ut refert Virg. (lib. 4. Georg.) ubi ait:

Illum adeo placuisse apibus mirabere morem,  
Quod nec concubitu indulgent, nec corpora senes  
In venerem solvant, aut foetus nexibus edant.

Unde Eucher. dixit, apem virginittatis imaginem esse, et Ambrosius (4. exan. cap. 21) valde commendat apes, quod communis est omnibus illis integritas virginittatis, et nihilominus maximum filiorum examen emittant, et Augustinus (de bono coniug. c. 2) ita: *Deus apibus prolem sine concubitu dare potuit: ergo carnis Christi in utero virgineo recte formare potuit.* Vultures etiam teste Basilio (in cap. 7. Isai.), et (oratione 19. de provid.) et Ambros. (5. Exan. c. 20) absque masculorum commixtione in aere concipiunt, nullo rerum naturalium auctore contradicente; et addit: *Acis sine masculo parit, et nullus refellit; et quia desponsata viro Maria peperit, pudoris eius faciunt questionem.* Persimilia sunt, quae dicit Lactantius Firmianus (lib. 4. de vera sup.): *Si animalia quaedam vento, et aura concipere solere omnibus notum est, cur quisquam mirum putet, cum Spiritu Dei, cui facile est quicquid velit, creatum esse Virginem dicimus?* et Albertus (3. de anima) scribit avem nomine carbas de arbore hiberna nasci, et Isid. (12. etymo. cap. 58) et Rufinus (in simbolo) testantur, orientis avem, quam phoenicem vocant, ita existens esse ab utroque, et sola semper, alienis in rerum natura et nascatur, et renascatur, et si bi ipsi mirabili quodam modo succedat. Sed quod in idem argumenti genus omnia supra-dicta longe superat, ut ad praesens spectat, il-

lud unum esse arbitror, quod refert Pomer. (lib. 1. part. 7. art. 3. cap. 2), et nos (libro 5) meminimus, multisque illustravimus, regiam quaedam avem esse nomine *ormomellam*, in Arabia tantum commorantem, quae sine filium producit: emittit guttam sanguinis, ex qua, virtute solis eam irradiantis, filius sibi similis concipitur. Mirabile sane naturae exemplum ad Mariae virginittatem, et conceptionem Christi illustrandam, cum ex solo purissimo Mariae sanguine, Spiritus sancti virtute in illam superveniente, Christus Dominus fuerit conceptus.

Verum cum modo contra Ethnicos agamus, non erit abs re fabulosa eorum fignenta, quibus ipsi non modicam fidem adhibent, in medium adducere, ut eos argumento, ut aiunt, ad hominem convincamus: sic enim opes aegyptiacas in usum et utilitatem sancti tabernaculi converteremus, et, ut dixit Augustinus (2. de doct. Christ. c. 4), quae Pagani, et Ethnici impie usurparunt, ab illis tanquam ab iniustus possessoribus in usum nostrum vindicabimus; et ut olim erat lex Deuteronomii 21, ut si quis captivum vellet ducere in uxorem, calvitiem ei faceret, unguens resicaret, ut auctor est Hieron. (in ep. ad Dam.), ad eandem certe modum, quoadque licet Gentilium fignentis uti, rescatit tamen superfluis, ac turpibus eorum: unde Paulus poetaum Ethnicorum, Arati astronomi (Act. 17) et Epimenidis cretensis testimonii usus est contra Paganos, ut eos non aliis, quam domesticis eorum telis superaret, instar Iadith, quae proprio Holofernis ense eum ingulavit. Est ergo receptissimum apud fabulosos antiquitatem, teste Divo Cyrillo (catech. 12), Vulcanum ex sola lunone sine patre natum, Bacchum ex labii cruore, et Minervam ex cerebro Iovis sine matre. Et Rufinus in expositione symboli enarrat Gentiles credere Venere de spuma maris fuisse genitam; Castorem, et Pollucem ex ovo matris: Mirmidones ex fornicata; tandem Deucalionem, et Pirrae hoc a Diis consilium datum fuit ad restaurandum mundum, ut ossa magnae matris in homines converterent, idest, ut efficerent magnam hominum segetem ex lapidibus terrae. Ossa enim tanquam scicidiora, et solidiora vocabant lapides, terram vero, quia omnes tam viventes, quam morientes suo gremio recipit, *magnam matrem* appellabant. Si ergo addo portentosa monstra, et cum natura ipsa adeo pugnantia, credibilia putant Ethnici, credibilibus sane iudicare debent conceptum Christum ex Virgine matre, cum in hoc plura, quam in illis prodigiis effectibus naturaerae consentanea concurrant, ut eleganter dixit Rufinus in haec verba: *Hic foemina est, et pars naturae ordo servatur, hic conceptus et partus temporibus suis editur, ibi nunquam foemineus sexus, sed vir solus, et partus; qui illa credit, cur ista miretur?* Tamen si adhuc rebelles existant Pagani, urgendi sunt ulterius ex Sibyllarum scriptis, quas ipsi, ut orbis magistras divinitus illustratas venerant. Unde s. Clemens Alex. (lib. 6. Stromat.) dixit: *Libros graecos sumite, agnoscite Sibyllam, quomodo unum Deum significet, et ea quae futura sunt.* Augustinus enim (18. de Civit. cap. 23) ait Sibyllam Brythream nulla carmina ea arte condidisse, ut

primae eorum literae simul iunctae, et quae sequuntur, redderent haec verba, *Iesus Christus filius Dei Saluator*; haec ergo Sibylla, ut in libro oraculorum legitur, inter alia dixit:

Cerno Dei matrem, qui se dimisit ab alto  
Ultima felices referat cum tempora sales,  
Hebraea quae Virgo feret de stirpe decora.

Et Virgil. (Egloc. 4) agens de Sibylla Cuma, quae et Cumana, adducta est a Cumis civitate, quae est in Campania, cuius sepulcrum adhuc est in Sicilia, ait:

Ultima Cymae venit iam carminis aetas,  
Magnus ab integro seclorum nascitur ordo,  
Iam redit et virgo, redeunt Saturnia regna,  
Iam nova progenies coelo demittitur alto.

#### Et Sibylla Phrygia:

Virginis in corpus voluit demittere coelo  
Ipse Deus prolem, cum nunciaret Angelus Almae  
Matris, quae miseris contracta sorde lavaret.

#### Sibylla Samia dixit:

Nunc poterunt clarum vivorum tangere regem  
Humano quem Virgo sinu inviolata fovebit.

#### Sibylla Persica:

Ille Deus casta nascetur Virgine Magnus.

Sibylla Delphica, quae fuit tempore regis Priami, et belli Troiani, dictaque fuit Delphica, quia fuit genita in templo Delphici Apollinis, dixit Deum ex Virgine nascendum, et pro omnibus passurum. Sibylla Libyca, cuius meminit Entropius: *Solvetur, inquit, nexus in ogone, et videbit regem egyptem, et tenebit illum in utero Virgo Domina Gentium.* Sibylla etiam Chinae in Italia nata, de qua Aethnius ait: *In prima facie Virginis puella quaedam nutrit puerum virgineum dans lac ad comedendum.* Ac tandem Claudiam Gentilis, unde tamen id hauserit nescimus, in hunc modum locutus est:

Quemque utero incluso Mariae innox numine iusso  
Virgine intumere sinus, inuaptaque mater  
Auctore obstupit compleri viscera partu.  
Antecum paritura sumum.

Ceterum si Ethnici his omnibus non annuunt, annuere certe debent portentis, signis, et singularissimis rerum eventibus, quibus Deus perpetuam Mariae virginittatem voluit illustrare: nam, ut referunt divus Antoninus (1. p. hist. tit. 4. cap. 6), et Oros. (lib. 6. cap. 20), Augustus Caesar Sibyllam quandam consuluit, an in mundo quispiam illo potentior futurus esset? et eodem die quo Christus natus fuit, vidit Sibylla illa circum aureum Romae iuxta solem, in quo Virgo pulchra residebat, et in gremio suo infantem gestabat, et tunc respondit Caesari, iam potentiorum illo esse natum, antequam fuit vox, haec est ara coeli, quo nomine insignita extat modo Romae ecclesia, quae antea erat palatium Octavianum. Cur autem ara

coeli templum Deiparae Virginis vocatum sit, colligitur quidam, qui de auctoritate praedictae historiae haesitant, ex Nicephoro (lib. 1. cap. 17), ubi ait, quod Augustus Caesar venit ad oraculum Pythii apollinis, et Hechatombe sacrificio oblato, quaesivit, quisnam post eum romanum administraturus esset imperium? at cum nullum eederet responsum, alterum adiecit sacrificium, denotique rogavit, quid illa oraculum concitasset? tunc ad hunc modum respondit:

Me puer Hebraeus, Divos Dens ipse gubernans,  
Cedere sede iubet, tristemque redire sub orcum.  
Aris ergo dehinc tacitus abscedit nostris.

Tali responso accepto Caesar Romam est reversus, alque ibi in capitolio aram maximam extruxit, cum huiusmodi inscriptione: *Ara primogeniti Dei*; haec ex Nicephoro: quae eadem Suidas scribit in Augusto: et Innocentius III. (ser. 2. de Nat.) refert, quod etiam tradit historia scholastica, Romae constructum esse templum pacis, fortissimum quidem, et ingentis molis, de quo Romani consulentes oraculum Apollinis, quamdiu esset duraturum? responsum fuit: *quosque virgo pareret*: quo auditu valde gavisus sunt, credentes semper duraturum, quia impossibile putabant virginem parituram: itaque in valvis illius templi haec posuerunt inscriptionem, *Templum pacis aeternum*; ipsa tamen nocte, qua Deipara Maria peperit, templum illud funditus corruit; et Marlinus Polonus (lib. 4. Chronic.) tradit Romae auream statuam in Palatio constitisse cum huiusmodi inscriptione: *non cadet, donec virgo pariat*; ceciit autem, cum primum Maria Christus enixa esset. Naucleus etiam, et Volateranus, immo et d. Thomas (2. 2. q. 2. ar. 7) ad tertium apert, vetustissimum huius rei monumentum reperit esse Irene matre, et Constantino imperantibus in laminis quibusdam aureis intra terram absconditis, quae hanc expressam inscriptionem habebant: *Christus nascetur ex virgine, et ego credo in eum: O sol sub Irene, et Constantini imp. temporibus iterum me videbis.* Nec dissimilis apud Zonarum extat testimonium in historia imperii Irene, et Constantini: ibi enim scribit, hebraeum quandam cum vineae colendae causa in terram foderet, vetustissimum invenisse librum triplici lingua scriptum, in quo haec verba continebantur: *Christus Iesus nascetur ex virgine, et pro salute hominum patietur: qui liber inventus fuit sub Honorio pontifice, et Federico secundo, cum Ferdinando Castellae rex Hispaniae imperaret.* Item s. Dorotheus martyr in Synopsi, et Epiphani. in vita Ieremiae referunt, quod cum hic propheta aliquando apud Aegyptios exulasset, ei praedixit: *Omnia suorum idolorum simulacra demolenda fore, cum primum virgo pareret, et infantem suum in praesepe locaret: cui vaticinio tantam Aegyptii fidem adhibuerunt, ut deinceps imaginem Virginis cum infante posito in praesepe summa veneratione colerent, in eiusque honorem aram struxerint cum titulo hoc, *Virgini pariturae*, quod et tradit Innocentius (serm. 2. de nativ. Dom.); cum primum ta-*



men Christus natus ex Maria, omnia illa idolorum simulacra eversa sunt, postea tamen restaurata currebant iterum Christo Domino Aegyptum intrante in manibus suae Genitricis, ut olim praedixerat (Isa. 19): *Eccc Dominus ascendit super nubem lecem, et ingreditur Aegyptum, et commovebantur simulacra Aegypti a facie eius, et cor Aegypti tabesceat in medio eius.* Tertullianus deinde (libro contra Marcionem), et Egesippus (libro de supplemento evang. verit.) explicans verbum illud: *responsus accepit Simeon*, narrat, quod isto qui Rabbi erat apud Hebraeos, dum in cathedra interpretaretur locum Isaiae (cap. 9): *Eccc Halma concipiet, delevit litteram aspirationis, h. ut sensus esset: iuvenula concipiet, non Virgo; divinitus tamen ablata littera mox restituta est: ipse vero iterum eam delevit; sed iterum miraculose scriptam invenit: ter quidem id fecit, et scripla halma cum aspiratione, h. reddebatur: quam singularem rei novitatem considerans Simeon ad orationem recurrit, ibique responsum accepit a Spiritu sancto de partu Virginis, et non se visurum mortem, donec videret Christum Dominum. Et in vita s. Aegidii teste Surio mense aprilii legitur, quod cum quidam magister theologus vacillaret in virginitate Mariae, accessit ad sanctum Aegidium Minoritum, ut ab eo solidaretur circa integritatem Virginis, cum ille occurrent percussit baculo terram dicens: *Virgo ante partum*, et statim candidissimum liliam subito excrevit; iterum percussit aliam terrae partem dicens: *Virgo in partu*; et mox simile liliam produxit; tandem tertio terram percussit: *Virgo post partum*, exclamans, aliud non minus candidum liliam repente exortum fuit, quo mirabili eventu incredulus ille firmissime amplexus est virginitatem Mariae. Recte ergo Christus Dominus Elhnicis dicere potest, quod olim Hebraeis (Joan. 5): *Opera, quae ego facio, testimonium perhibent de me: et illud: Si mihi non vultis credere, operibus credite.* Quod plura? certe contra Elhnicos non tantum humana testimonia, sed coelestia signa virginitatem Mariae indicare comperio. Albumazar celeberrimus astrologus (in suo maiori introductorio tractatu 6) inquit: *Ascendit in prima facie illius signi virgo pulchra, et honesta habens in manu sua duas spicas, et nutrit puerum, et vocat ipsum quaedam gens Iesum, et ascendit cum ea stella virginis; haec ille: quae verba adducens Albertus, suo saeculo magnus, in libro cui speculi titulum imposuit, ut refert Sixtus Senensis (lib. 6. annotat. 10): Nos autem scimus, quod sub hoc ascendente eiusdem Virginis natus fuit Dominus noster Iesus Christus, cum hoc, quod aequatio motus octavae sphaerae in tempore eiusdem fuit octo graduum, et triginta minutorum, secundum calculationem certissimam, et quod ipsa erat tunc minuenta de locis planetarum inventis per canones; non quia subiaceat stellarum motui, aut earum iudicio naturam desideratissimus, qui creaverat ipsas stellas, sed quia cum extenderet coelum, sicut pellem, formans librum universitatis, nobis literis eiusdem deesse ex his, quae secundum providentiam suam in libro aeternitatis scripta sunt, etiam illud elegantissimum a na-**

*tura, quod de Virgine nasceretur, ut profecto per hoc immeretur homo carnalis, et verus, qui non naturaliter nascebatur; non quod coeli figura causa esset, quare nasceretur, sed potius significatio; imo verius ipse erat causa, quare modus admirandae suae aeternitatis significaretur per coelum.*

Ad extremum interrogo Ethnicos, an his quae hucusque commemoravimus, praesentidem. Homerus, qui bellantes inter se Deos finxit, cum alii Troiam capi vellent, alii repugnarent? maiore fides adhibenda est Diadomaculo, qui Deorum procreationem, et interitum, ac multipliciter describit, et persuadet? Mendaces utique sunt, et mendacium locuti, quod et vos creditis, veritatem autem, quam Deus per amicos suos prophetas, et os Domini in terris pronuntiavit, spernitis. Quid enim magis naturae repugnans, quam Deus plures dari omnipotentes, eosque libidini vacare, parricidas celebrari, exules inferni posse, atque interemptos arbitrari? Haec, ut ex vestris dixit Cicero (lib. 2. de natura Deor.) dicuntur, et creduntur stultissimi; at quod non credimus de Virginis conceptu, et partu singulari, ab ipsa Sapientia propositum est, et sapienter evulgatum, et creditum. Quandoquidem, ut arbores germinant absque sui fractione; servata duritie, et integritate marmor aquam desudat; ignem silex transmittit infractus; extra produci speculum fulgentem splendorem, cum desuper sol illud irradiat; immo et sol nubem oppositam splendorem reddit, non dissoluta, sed illustrata potius nube; ita fieri posse crede, o philosopho, Verbum assumpta carne in utero Virginis, de Virginis utero, illaese claustrum prodidisse: *Humano usu, ait d. Leo (ser. 2. de Nativitate Domini), quod credimus, carere; sed divina potestate subnicum est, quod Virgo conceperit, quod Virgo pepererit, et quod Virgo manserit.* Non hic cogitetur parentis conditio, sed nascentis arbitrium, qui sic homo natus est, quia volebat, et poterat.

Summi est potestas omnis, et gloria Dei,

dixit Aeschylus apud Iustinum mart. (lib. de Monarchia), et apud Athenagoram (oratione ad gentes) Sophocles cecinit:

Unam profecto nomen, unns est Deus.  
Qui condidit coelum, et solum terrae parens.

Ergo qui omnia fecit, cuique cuncta parent, potuit carnem in Virgine assumere, et ea virginitate servata concipi et nasci. Modus autem quae haec gesta sunt, ait Macharius ad philosophos in concilio Nicaeno (lib. 2), *omnis creaturae rationalis cogitationem transcendit.* Miraculum namque Dei est fugiens rationem. Tandem Theodotus Ancyrae episcopus (or. de Nat. Salvatoris in concilio Ephesi 1. to. 6. app. 5. c. 2) ait: *Quare Gentiles, qui fabulosa contra rationem, et omni ex parte impossibilia admittunt, excessibionem non habebunt de peccato suo, quod non crederint, quae tantum supra rationem sunt, possi-*

bilia tamen omnipotenti, qui dixit, et facta sunt; qui sit honor, et gloria in saecula saeculorum. Amen.

#### HOMILIA IV.

*Virginitatem Deiparae cum foecunditate coniunctam, ex locis sacrae Scripturae, et ex similitudine apertur.*

Multa quidem comitabantur integerrimam Deiparae virginitatem, quae velut quibusdam pyropis mirum in modum illam exornabant, profunda humilitas, taciturnitas, clausura, modestia, verecundia, et aliae similes virtutes, quae propria sunt virginum monia; illud tamen, utpote singularissimum, prodigiosum, et usquam audium, celeberrimum, et splendidissimum illam reddidit, quod foecunditatem comitem habuerit: unde vix secreti potest in Deipara Maria virginitas, et foecunditas, adeo virginitas foecunda, et foecunditas virginea esse perhibetur: quod significare volens Maria, dixit per Ecclesiasticum (c. 24): *Flores mei fructus honoris, et honestatis.* Certe in arboribus diversi sunt flores a fructibus, hi enim nascuntur ab illis, et istis exortis decidunt illi: cum igitur flores non sint fructus, sed quidpiam ab illis distinctum, non potest revera mysterio vacare, quod b. Virgo flores suos dicat esse fructus: *Flores mei fructus honoris, et honestatis.* Ego sane arbitror, illud ibi latere, quod voluit significare, virginitatem suam esse foecundam, non sterilem instar ceterarum virginum, et ideo flores suos virginitatem eius designantes, dixit esse fructus, quod constat esse foecunditatis non obscure argumentum: aderat ergo simul in Maria flos virgineae pudicitiae, et fructus naturae foecunditatis. Existimo autem consilio addidisse Deiparam, honoris, et honestatis, ut significaret fructum benedictum ventris sui, cum ex eo per nativitatem erupit, virginis honorem, et honestatem minime laesisse: ac tandem censeo, notanter beatam Virginem vocasse in plurali virginitatem suam flores, et partum eius fructus, quia virginitas Mariae, ut quae prima religioso voli cultu Deo fuerit oblata, origo reliquarum fuerit, quae in tot virginibus effulgunt: unde licet in se sit unicus, et singularis flos, plures tamen exiit in virtute; et similiter, quia Christus futurus erat radix fructuum innumerabilium, hoc est, innumerorum fere praedestinatorum, qui fructus sunt sanguinis Christi Iesu, ideo merito Deipara non in singulari, sed in plurali vocavit filium suum fructus, non fructum: in quo etiam sensu mihi loquuta videtur, cum dixit (Ecc. 24): *Et a generationibus meis adimplemini: unam solum habuit generationem, et plures illas vocat, quia spiritu prophetico agnoscebat, initium illam unam fore pene infinitarum spiritualium regenerationum, quibus pene infiniti lavacro baptismatis in filios Dei erant regenerandi, et renascendi.* Ad idem etiam mysterium virginitatis, et foecunditatis manifestandum ipsa Virgo dixit (Cantic. 7): *Omnia poma nota,*

*et cetera servavi tibi, dilecte mi: poma, et fructus veteres erant foecunditas, apud veterem legem in magno pretio habita; poma vero nova, et novi fructus, sunt virginibus, quae in nova lege gratiae mirum in modum aestimatur: utraque tamen haec poma affirmat Maria servasse dilecto suo, quia virginitatem colens, et illam involuntam semper conservans, tam singulari foecunditate fuit divinitus praedita, ut non minus, quam Deum, et hominem virgo manens, conciperet, et pareret.*

Perplura quidem in naturalium rerum ordine in superioribus dixi foecundam Mariae virginitatem delineasse, inter quae ob mirabilem sympathiam cum Virgine, apud exemplum mihi valde aridet, quod proinde hoc loco proseguendum duxi. Salomon (Eccles. 11): *Brevis in volatibus est avis, et initium dulcoris habet fructus eius: quae verba mirifice conveniunt in Mariam, fuit enim brevis, hoc est exigua per humilitatem: Ecco Anella Domini, et Christus Dominus fructus uteri eius initium fuit, et, et erit, ac fons perennialis omnis suavitatis, et dulcedinis animam tam in hac vita, quam in futura iucundantis; unde ubi nostra vulgata legit: *Initium dulcoris habet fructus eius:* eruditus interpres Vatavibus vertit: *Fructus eius origo dulcoris:* quod et significantius expressit versus LXX. Interpretum, dum legit, et *incipit dulcorum fructus eius:* sicut autem nulli prius dulcis, et gratus est favius, quam ipsi api, ita nulli prius dulcis exiit fructus beatae Virginis, quam ipsi, cum e materno utero, velut exurgente gemma, insere arboris fructus erumpens, non solum dolorem parturientium intulit, sed singulari animi laetitia cum perfudit: unde Isaia in praevidentis dixit (c. 40): *Transiit in pacem, senita in pedibus eius non apparebit:* alii filii enim e materno utero egrediuntur, non transeunt in pacem, sed in dolore parturientium, iuxta illud (Gen. 3): *In dolore paries filios tuos;* at Christus Dominus transiit in pacem matris, hoc est absque ullo eius dolore, igitur integra violata manente virginea eius integritate, alioquin a dolore non fuisset immuns, quod violato dolore pariat propter divisionem illarum partium. Atque ad hoc mysterium significantum dum putat Innocentius (super Psal. 21) Davidem dixisse in persona Christi: *Tu es, qui extraxisti me de ventre, spes mea ab uberibus matris meae: sic enim loquitur: Per ista verba Christus commendat duo, scilicet naturam integritatem, et suam cum Verbo hypostaticam unitatem. Ubi nota, quod aliqua sunt, quae Deus facit se solo, sicut est animae creatio; aliqua facit, sed mediante creatura, ut quod vivum nascatur in vite. Unde quod homo nascatur de muliere, est opus naturae, quia Deus illud facit mediante natura; quod autem quis nascatur de virgine, non est opus naturae, sed solius divinitatis potentiae. Ad ostendendum ergo, quod non modo naturali Christus natus est, sed supra naturam, quia salvo virginitatis sigillo, hoc suae natiuitatis soli Deo attribuit. Haec Incongniti expositio, etsi a quibusdam mordaciter, immerito tamen, quia praeter Tietlmannum, Fuschium, et patriarcham Aquilensem, et Agellium insignem psalmodum interpretem,**